

CONFESSiONiS
CATHOLiCÆ,

Logia.

DOCTRINA
CATHOLiCA ET
EVANGELiCA, QVAM EC-

CLESiÆ AUGUSTANÆ CONFESSiONI
ADDICTÆ PROFiTENTUR, Ex ROMANO-
Catholicorum Scriptorum suffra-
giis confirmatur,

A U T O R E

JOHANNE GERHARDO D.
LIBRiLL. Specialis Pars Secunda,

*Contine*n*s artic

les
,*

- VI. De CLERICIS,
- VII. De MONACHiS,
- VIII. De LAICiS,
- IX. De PURGATORIO,
- X. De BEATITUDiNE et CULTU SANCTORUM,
- XL. De SACRAMENTiS,
- XII. De BAPTiSMO,
- XIII. De CONFIRMATIONE,
- XIV. De SACRAMENTO EUCHARiSTiÆ,
- XV. De MISSA.

Cum Privilegio Electoris & Ducum Saxoniae.

JENÆ,

Typis & Sumtibus ERNESTi STEINMANNi,

ANNO M. DC. XXXVI.



Illusterrimo ac Celsissimo Principi ac Domino,

DN. FRIDERICO WILHELMO

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium

Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Co-
miti in Marca & Ravensburg, Domino
in Ravenstein &c.

HEROI GLORIOSISSIMO,

Principi ac Domino suo Clementissimo.

Gratiam & Pacem à Deo Patre per Christum Jesum in
Spiritu Sancto.

IL LUSTRISSIME ac Celsissime Princeps, Do-
mine clementissime, ante sexennium, & quod
excurrit, Dillingæ in publicam lucem prodiit
scriptum, sub hoc titulo : *Pacis compositio inter
Principes & Ordines Imperii Romani Catholicos, at-
que Augustane Confessioni adberentes, in Comitiis Augusta An-
no 1555. edita, quam Jure Consulti quidam Catholicæ ex publicis
Comitiorum actis & decretis adversus complurium Acatolicos
scriptorum commenta questionibus illustrarunt. Autores
hujus scripti vel unicum, vel certè præcipuum hunc sibi vi-
demus prefixum habere scopum, ut demonstrent, beneficio*

Pacificationis Passavieensis Ecclesias nostras non amplius gaudere, sed eadem excidisse, vel certe Pacificationem illam ita coarent & restringant, ut oppidò paucis ejus potiundæ ac fruendæ detur copia. Reverâ igitur hoc agunt, ut, sublato Pacificationis hujus Palladio, facultates & corpora omnium nostrum extremo periculo objiciantur, ac pœnæ in hereticos jure Pontificio ac Cæsareo constitutæ, nobis irrogentur. Experimentum hujus rei certissimum ex eo capi potest, quod in capite undecimo quest. 82. n. 102. & seqq. frivolis quibusdam ratiunculis evincere conantur, nullos, aut vix ullos hodiè existere, qui *Confessioni Augustanae* obdereant. Cum enim Pacificationis Passavieensis beneficium, ut clara litera testatur, non nisi Romano-Catholicis ex una; & Augustanæ Confessioni addictis Statibus ex parte altera sit datum, ex hac hypothesi Dillingensium immotè sequitur, nullos, aut vix ullos hodiè præter Romano-Catholicos in Imperio Romano existere, qui, ut beneficio Pacificationis Passavieensis fruantur, digni censeri debeant. Ecquis ergo dubitet, Jesuitas, quorum consilio & suggestione, si non etiam calamo & scriptione, farrago hæc, quoad Theologica, congesta est, jure meritoque in Decreto Parlamenti Parisiensis Ann. 1594. publica tranquillitatis perturbatores appellatos? Ecquis inficias eat, verissimè à viro quodam Nobilissimo C. V. D. T. pronunciatum esse, ignea illa ingenia ab Ignatio Loyola Ordinis sui autore, clim milite, eos bausisse Spiritus, ut non sunt prius conquietura, antequam Imperium Romanum bellorum flammis accensum, in pulverem accinerem redigatur, ac novus Phoenix Hispanice Monarchie ex eo prodeat. Eccui amplius obscurum, quin Praeses Parlamenti Parisiensis Jacobus Augustus Thuanus in Elegia, quæ incipit,

Hesperie fuscis gens emissaria ab oris Æc. verissimè cecinerit:

Alque

Atque ultimam nunquam tibi crux Dux Lojola Secta

Icisset levâ missa sagitta manu!

Nempe tua à bello cunctorum fonte malorum

Secta fata est, bellum hinc nunc & adulta ferit.

Expendamus verò ad rationis eruditam argumentorum pondera, quibus infamem hanc thesit, nullos, aut vix ullos badiè existere, qui Augustana Confessionis adhærent, statumina-re laborant.

Tria in universum assertioni suæ subfertunt fulcra, quibus subratis tota structura ruinant patiuntur. Primum deducunt ex aliorum fidei articulorum introductione. Alterum, ex Augustana Confessionis variatione. Tertium, ex novorum errorum defensione.

Primum argumentum hoc schemate formatum, introducunt. Qui Confessioni Augustana adhærent, non debent alios fidei substantiales articulos adversus Ecclesiam Romanam docere, præter eos, qui in Confessione expressi sunt. Constat autem, Lutheranos, & antequam Confessionem suam ederent, & postea plures fidei substantiales articulos docuisse & adhuc docere, qui in Augustana Confessione explicati non sunt. Ergo non adhærent Augustana Confessioni. Majorem hujus argumenti morbo ambiguicatis laborare dicimus, aliorum enim fidei articulorum nomine vel intelliguntur ejusmodi dogmata, quæ pro fidei articulis à Lutheranis habentur, ac contra Papatum propugnantur, cùm tamen non sint in Augustana Confessione to- idem verbis proposita, verbi gratiâ, Scripturam esse perspicuam, esse perfectam, esse unicam omnium controversiarum normam &c. vel intelliguntur ejusmodi dogmata, quæ sunt articulis fidei in Augustana Confessione contraria, per quæ in doctrina Papali damniatur, quod Augustana Confessio in-

ea approbat, aut vice versa, per quæ in doctrina Papali approbatur, quod Augustana Confessio in ea damnat. Si aliorum fidei articulorum nomenclaturam in priore significacione Dillingenses usurparent, multis eos obrueremus absurdis. Neque enim Cæsarea Majestas à Protestantibus hoc requisivit, ut omnes & singulos fidei articulos, tum temporis cum Romana Ecclesia controverlos, in Confessione sua proponerent: neque Protestantes in conscribenda & exhibenda Confessione suâ hoc sibi propositum habuerunt; neque unquam profensi sunt, à se hoc esse præstitum, sed hoc dyntaxat fuit à Cæsare requisitum, & à Protestantibus præstitum, summam doctrinæ, quam in Ecclesiis suarum dictionum propagari current, brevissimo scripto comprehendere, unde ipsa ~~etiam~~ ^{etiam} augustæ illius Augustanæ Confessionis sic informata, Articuli fidei precipui; Epilogus vero sic incipit: *Hi sunt precipui articuli, qui videntur babere controvèrsiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat: tamen, ut fugeremus prolixitatem, precipua complexi sumus, ex quibus cetera facile judicari possunt; & his verbis finitur: Hos articulos suprascriptos voluimus exhibere juxta edictum Cesar. Majest. in quibus Confessio nostra extaret, Et eorum, qui apud nos docent, doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus, latiorem informationem, Deo volente, juxta Scripturas exhibere; quæ verba Solis radiis scripta manifestissime testatum reddunt, Protestantibus hoc dyntaxat animi fuisse, summam doctrinæ in Ecclesiis suarum dictionum publicè tonantis tradere, non autem omnes in universum articulos cum Papali Ecclesia controversos scrupulosè recensere. Vident hoc Dillingenses, unde non in priore, sed in posteriore potius significacione aliorum fidei articulorum nomenclaturam*

DEDICATORIA.

nam accipere videntur, videlicet pro eiusmodi dogmatibus, quæ articulis fidei in Augustana Confessione propositis, sunt contraria. Præterquam enim, quod in tertio demum argu-
mento de novis fidei articulis præter & extra Augustanam Confessionem in Ecclesiis nostras introductory agere incipiunt, patescit id ipsum ex Minoris confirmatione, in qua magno quidem, sed frustraneo, conatu sibi demonstrandum sumunt, in cæteris libris Ecclesiæ nostræ Symbolicis à nobis in doctrina Papali damnari ea, quæ ab Augustana Confessione in eadem approbantur, ac vice versa in libris illis Symbolicis ea in doctrina Papali approbari, quæ ab Augustana Confessione in eadem damnentur, & quod inde sequitur, dogma Augstanæ Confessioni contraria in libris nostris Symbolicis & in Ecclesiis nostris propagari ac propugnari. Hoc si evicerint Dillingenses, haud inviti fatebimur simul evictum, Lutheranos Augstanæ Confessioni non amplius adhaerere. Videamus igitur, quid tanto dignum ferant hi promissores hiatu, ac quomodo intentatum contradictionis σύχλημα probent. Provocant ad articulos Schmalcaldicos, qui in Formula Concordia inter Symbolicos Ecclesiarum nostrarum libros referuntur, & ex illis quatuor dogmata in medium producunt, quæ doctrinæ, in Augustana Confessione comprehensa, diametaliter adversentur. Anno Christi 1535. inquisient, ex mandato Principum Protestantium Schmalcaldie con-
venierunt Predicantes, ubi Lutherus articulos scripsit in Concilio Tridentino, si opus fuerit, proponendos, iisq; non minorem fidem quam Augstanæ Confessioni babendum esse testatur Lucas Osiander in Historia Ecclesiastica Ann. 1537. Cent. 16. lib. 2. cap. 3. spemet, Concordie liber ad finem Praefationis. Enumeremus aliquos articulos. Part. 2. art. 1. Ita habetur: Quod Missa

EPISTOLA

patuit maxima & borrenda abominatio, simpliciter & hostiliter
è diametro pugnans contra articulum de Redemtione, que tamen
præ omnibus aliis Pontificiis idololatriis summa & speciosissima
fuit. Sed in Augustana Confessione bac proposita sunt Carolo V.
Imperatori, que dicto articulo Schmalcaldico aduersantur. Falsò
accusantur Ecclesia nostra, quod Missam aboleant. Retinetur enim
Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur &
usitata Ceremonia ferè omnes, præterquam quod Latinis cantionib-
bus admiscentur alicubi Germanica, que addita sunt ad docendum
populum. Hactenùs Dillingenses hoc modo concludentes:
Quicunque dogma aliquod damnant, quod ab Augustana Confes-
sione approbatur, illi non amplius Augustana Confessioni adber-
rent. Lutherani in articulis Schmalcaldenibus Missam damnant,
que tamen in Augustana Confessione approbatur. Ergò Lutheran-
i non amplius Augustana Confessioni adberent. Mirum verò,
Dillingenses tam oculatos esse, ut videant, quod nec Impera-
tor Carolus V. nec Rex Ferdinandus, Heroës Augustissimi,
nec reliqui Status Imperii Romano-Catholici tempore Paci-
ficationis Passaviensis viderunt! Illi enim Lutheranos pro-
motores Augustanae Confessionis sociis habuerunt, pacis poli-
ticae foedus cum ipsis injerunt, nec propter articulos Schmal-
caldicos jam tum in publicum editos, ullius ab Augustana
Confessione secessionis ipsos reos peregerunt. Mirum omni-
pò, Dillingenses oculis esse tam lynceis ac perspicacibus, ut
videant, quod 42. Theologorum lumina & Numinia, quo-
rum nomina articulis Schmalcaldicis sunt subjecta, videre
nimè potuerunt! Illis enim nunquam in mentem venit,
anc subscriptionem approbare ullum dogma, quod Au-
gustana Confessioni aduersetur. Sic namq; in subscriptione
littere: *Demandato Illustrissimorum Principum & Ordin-
num*

DEDICATORIA.

num ac Civitatum Evangelii doctrinam profitentium, relegimus articulos Confessionis exhibita Imperatori, in Conventu Augustano & Deibeneficio omnes Concionatores, qui in hoc Smalcaldensi Conventu interfuerunt, consenteentes profitentur, se juxta articulos Confessionis & Apologia sentire & docere in suis Ecclesiis. Mirum, inquam, Dillingenses tanto valere acumine, ut intelligent, quod tres Electores, viginti Principes, viginti & duo Comites, tres Barones, triginta quinque Rerum publicarum Senatores, ac tot Electorum, tot Principum, tot Comitum, tot Baronum Consiliarii & Theologi, tot Rerum pul. Syndici, intelligere minimè potuerunt, videlicet articulos Schmalcaldicos, cui unà cum Formula Concordiae subscripsérunt, cum Aug. Confessione pugnare. Sic enim in præfatione r̄e iusl̄e loquuntur: *Nunquam nobis in mentem venit hoc nostro scripto vel novum aliquod & falsum doctrinæ genus introducere, integrum enītis commendare, confirmare, vel in minimis etiam à Confessione illa Anno 1530. Auguste exhibita, discedere &c.* Quā etiam de causa Confessionem illā tum exhibitam, nostra, que bis subjicitur, declarationis sue libro Concordia inferere voluimus, ut omnes intelligent, quod in nostris ditionibus, Ecclesiis & Scholis nullam aliam doctrinam ferre constituerimus, quamque Auguste anno 1530. ab Electoribus, Principibus & Imperii Ordinibus recepta fuit. Hanc Confessionem etiam, Deo nos benè juvante, usq; ad ultimos Spiritus pie ex hac vita ad cœlestem patriam migraturi tenebimus, excelsa & intrepido animo, purâq; conscientiâ comparituri coram tribu- nali Iesu Christi. Et postea. Nos certè hoc Concordia negotio nequaquam nova comminisci, aut à veritate doctrinæ cœlestis. qui in maiores nostris patris nomine celeberrimi & agnoverunt & professi sunt, ullo modo discedere voluimus. Eam autem doctrinam in- telligimus, qua ex Prophecyis. & Apostolicis scriptis extracta, in- b tribus

tribus veteribus Symbolis, Augustanâ Confessione anno 1530. Imperatori Carolo V. excellentis memorie exhibita: deinde Apologia, qua huic conjuncto fuit Schmalcaldicis articulis, utroq; deniq; Catechismo excellentis viri D. Lutheri comprehensa est. Quare etiam nos ne latum quidem unguem à rebus ipsis & pbrasibus, que in illa babentur, discedere, sed iuvante nos Domini Spiritu, summâ concordia constanter in hoc pio consensu perseveraturos esse decrevimus, controversias omnes ad hanc veram normam & declaracionem purioris doctrine examinaturi. Eant nunc Dillingenses, tot heroës majore nescio audaciâ, an impudentiâ mendacii accusent, Augustanam Confessionem & articulos Schmalcaldicos hostiliter inter se committant, ac & mias ab Augustana Confessione Ecclesias nostras porrò accusent. At, inquit, *Missa in Augustana Confessione approbatur, in Schmalcaldicis articulis damnatur.* Breviter respondeo, scrupulus hic est, non scopulus, apparen^s contradic^tio, non vera iniquitatis. Evolvatur ambiguitas vocabuli *Missa*, & res tota erit expedita. Per Missam Augustana Confessio non intelligit Missaticum sacrificium, sed totam Liturgiam sacram & Ecclesiasticam, quæ continet pias preces, benedictionem, exhortationem, recitationem orationis Dominicæ, ac verborum Institutionis Eucharistiae, Symbolorum sacrorum dispensationem, gratiarum actionem, quæ publica Sacramenti Eucharistici administratio vocabulo in primitiva Ecclesia jam olim recepto, Missa fuit appellata à formula illa, quâ Catechumeni, qui publicis Conventionibus usque ad finem concionis interesse permittebantur, cùm ad Liturgiam seu Eucharistiae administrationem perventum esset, voce Diaconi exire jubebantur, prolati hisce verbis: *Catechumeni exeunt. Ite, Missa est.* In hac significatione Missa vocem ab Augustana Confessione accipi, luculentè apparet

paret ex verbis immediate sequentibus, quæ sic habent: *Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigitur Sacramentum bis, quibus opus est consolatione. Cum autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, servatur apud nos una communis Missa singulis feriis atq; aliis etiam diebus, si qui Sacramento velint uti, ubi porrigitur Sacramentum bis, qui petunt.* Schmalcaldici vero articuli Missæ nomine intelligunt Misericordia sacrificium propitiorum, sive incruentam oblationem pro vivis & mortuis, cuius in Aug. Conf. nec volla, nec vestigium appetet, imo, quæ ab August. Conf. æquè, ac à Schmalcaldicis articulis damnatur. Sic enim loquuntur Confessores: *Accessit opinio, que auxit privatæ Missas in infinitum, videlicet, quod Christus suâ passione satisficerit pro peccato originis, Et instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus Et venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus, tollens peccata vivorum Et mortuorum ex opere operato Et cetero. De his opinionibus nostris admonuerunt, quod dissentiant à Scripturis sanctis Et ledant gloriam passionis Christi.*

Accedamus vero ad alterum exemplum, quo Dillingenses probare nituntur, in Augustana Confess. & Schmalcaldicis articulis contradictoria dogmata contineri. In eadē, inquiunt, part. 2. art. Schmalcald. art. 4. de Papatu inter alia haec habentur: *Sancta Christiana seu Catolica Ecclesia consistere absq; isto capite (Pontifice Rom.) optimè potest, Et constitisset certè rectius, ac melius cū ea ageretur, nisi Diabolus illud caput in medium projectisset Et exaltasset. Et certum est, Papam nullias usus esse in Ecclesia, quia nullum Ecclesiasticum officium exercet, Et necesse est, Ecclesiam permanere Et consistere sine Papa. Et infra. Hac doctrina preclarè ostendit, Papam esse ipsum verum Antichristum, qui supra Christum se se extulit Et evexit, quandoquidem Christianos*

non vult esse salvos sine sua potestate, quia tamen nibil est, & a Deo nec ordinata, nec mandata est. Hunc articulū de Papatu non tantum Confessionistæ non expresserunt, sed contraria ei dixerunt, ut, quando ad Concilium à Rom. Pontifice congregandum, appellārunt in prefat. ad Carolum V. quando infine articulorū fidei dixerunt, in ea doctrina seu Confessione tuâ nihil interesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia Catolica, vel ab Ecclesia Romana, quantum ex Scripturis nota est. Et art. 7. abusum de potest. Eccl. Tantum pertinet Confessionistæ, ut Episcopi injusta onera remittant, que nova sunt, & præter consuetudinem Ecclesie recepta. Fortasse initio quadam Constitutiones factæ babuerunt probabiles causas, que tamen posterioribus temporib. non congruunt, apparet etiam, quasdam errore receptas esse. Quare Pontificia clementia esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatione non labefacit Ecclesiæ unitatem. Nonne talibus verbis Rom. Pontificis potestatem in Ecclesiæ Catholicam coram Cesare profitebantur? Sed nec hic quidpiam occurrit, quod veram & realem contradictionem involvat. Schmalcaldici articuli Papam vocant Antichristum, hoc non pugnat cum Augustana Confessione, cum etiam ante exhibtam Confessionem Lutherus non semel in publicis scriptis Papam Antichristum salutârit tom. I. Germ. Jen. f. 58. 178. 351. 414. 517. tom. 2. f. 60. 133. &c. Et ut cætera omnia sicco pede præteream, ann. 1521. ait articulos viginti sex congregavit, in quibus Dominus noster Jesus Christus & Papa Romanus dissident. Huic doctrinæ Lutheri tantum abest, ut Confessio quidpiam contrarium proposuerit, ut eandem potius haud obscurè confirmet. Quamvis enim totidem literis & syllabis Rom. Pont. in Conf. Aug. non vocetur Antichristus, tamen notæ à Spiritu S. ad descriptionem Antichristi in sacris literis adhibitæ, ab Augustana Conf. Pontifici Romano tribuuntur, videlicet quodtradicitionibus,

D E D I C A T O R I A.

ditionibus, superstitutionibus & constitutionibus suis ledat gloriam Christi, abneget justitiam fidei, traditiones suas preferat mandatis Dei, misceat potestatem gladii & Spiritus, quod conatus fuerit contra omne jus transferre regna mundi & Imperatoribus Imperium adimere; quod novos cultus instituat, conjugio hominibus interdet, discrimen ciborum sub opinione meriti Ecclesie obtrudat, quæ omnia Antichristo in Scripturis tribui in Solis mensa politum. Quinimò Apologia Confessionis art. de Eccles. p. 194. exertis verbis asserit, de regno Pontificis Danielē capite undecimo fuisse vaticinatum, quo in loco de Antichristi regno Prophetam loqui in proposito est. Et paulò post Apologiam sic loquitur p. 241. Propria est hac lex de perpetuo cœlibatu hujus novae Pontificie dominationis, neque id abs re. Daniel enim tribuit bane notam regno Anticristi, videlicet contemptum mulierum. Item p. 262. Ad hac accessit horribilis profanatio Missarum, & alii multi impii cultus in templis. Hac est desolatio, quam Daniel describit. Ita heret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc est, abusus Missæ, quam applicant, ut per eam mereantur injustis remissionem culpe & pœnae. Et videtur hic Baaliticus cultus unà cum regno Pontificio duratus esse, donec Christus veniet adjudicandum, & gloriæ adventus sui perdet regnum Anticristi. Num potuissent Confessores clariū mentem suam de regno Papali, quod sit regnum Antichristi, exponere? Pontificem non esse Ecclesiæ caput, nec potestatem ejus esse à Deo mandatam vel ordinaram, asserunt articuli Schmalcaldici. Assertioni isti minimè adversatur, quod Confessores in præfat. Confessionis ad Concilium à Papa congregandum appellant. Neque enim Pontifici hanc Concilii convocandi potestatem jure competere asserunt, sed à Cæsarea Majestate Pontifici de facto hoc permitti, ut Concilium convocet, neque enim ex sua mente ibi loquuntur, sed Cæsareæ

farex Majestatis verba μυηθικῶς recitant. Quando in fine articulorum fidei dicunt, *in doctrina seu Confessione suâ nibil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est*, eo ipso minimè negant, Papam Romanum esse Antichristum, cùm ab Apostolo edocti sint, *Anticristum seffurum in templo Dei 2. Thess. 2. v. 4.* hoc est, dominium in Ecclesiam sibi arrogaturum, nec tribuunt ei Monarchicam aliquam in Ecclesiam universam potestatem, quippe quam in Ecclesia Romana, Apostolicis temporibus vicina, minimè obtinuit; nec volunt de confessione sua judicium fieri debere ex doctrina & praxi hodiernæ Ecclesiæ Romanæ, sed antiquæ & primævæ illius, quæ Christi & Apostolorum temporibus vicina fuit, unde disertè addunt, *quatenus ex Scriptoribus nota est*. Dillingentes hīc legunt, *quatenus ex Scripturis nota est*, quæ lectio, nīs sit sphalma quoddam Typographicum, adhuc clariùs nostram confirmat responcionem. Quando *Pontificie clementie esse* dicunt, *constitutiones quædam mitigare*, itidem non tribuunt Pontifici summam & auctoritatem in Ecclesia potestatem, sed eidem potius derogant, dum Tyrannidem & inclemenciam ei propterea objiciunt, quòd pro constitutiunculis humanis libertatem Ecclesiæ labefactantibus, tanquam pro aris & focis, imò magis pro focis, quam pro aris pugnet, nec ullam moderationem vel mitigationem infirmorum habitâ ratione adhibeat. Loquuntur etiam Confessores ex hypothesi, si vel maximè potestas quædam jurisdictionis introducendi ejusmodi constitutiones in Ecclesiam Pontifici competeteret, quam Romano-Catholici ei tribuunt, tamen clementiam in mitigandis illis constitutionibus adhibere deberet, neque cum Scribis & Pharisæis onera gravia & importabilia alligare

5 in

*E*s in humeros hominum ea imponere, atque interim ne digito quidem ea mouere Matth. 23. v. 4. Reliqua duo exempla, quibus in Augustana Confessione & articulis Schmalcaldicis contradictione contineri probare sat agunt, facilem habent explanationem. *Augustana Confessio*, inquit, concedit dari liberum arbitrium, sic enim loquitur artic. 18. De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & diligendas res rationis subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendam justitiae Dei, seu justitiae spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, sed bac fit in cordibus, cum per verbam Spiritus Sanctus concipiatur. Ad que verba Caroli Cesarii & Catholicorum Principum responsio talis fuit. In articulo 18. confitentur liberi arbitrii virtutem, quod habeat libertatem ad efficiendam justitiam civilem, sed non habeat vim sine Spiritu Sancto efficiendam justitiae Dei, quae Confessio acceptatur & approbatur. Contrà vero in part. 3. artic. Schmalcald. artic. 1. damnatur dogma Catholicorum Doctorum, hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum & malum. Jam autem enim docuerat Lutherus de libero arbitrio assert. artic. 36. tom. 1. Witeb. fol. 117. col. 2. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Infelix liberum arbitrium. Fasitus in bono opere peccat mortaliter. Et similia plura postea subiungit. Idemque Lutherus in libro, quem contra Erasmus scripsit, de servo arbitrio, contendit, hominem propter scientiam & voluntatem Dei tam bonum, quam malum agere ex absoluta necessitate. Inter alia eod. tom. 1. fol. 469. col. 1. ait: In rebus, que pertinent ad salutem, vel damnationem non habet hominem liberum arbitrium, sed captivus, subjectus & servus est vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanae. Sed & haec apparet contradictionis distinctionis fœdere conciliari potest.

Aug-

Augustana Confessio concedit dari liberum arbitrium, videlicet in rebus naturalibus, politicis & œconomicis, in rebus humanæ rationi subjectis & ad inferiorem sphæram pertinentibus, in regenda externa disciplina & cavendis peccatis atrocioribus externis, sicut disertè additur, *humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & diligendas res rationis subjectas.* Articuli Schmalcaldici negant, dari liberum arbitrium, videlicet in rebus spiritualibus, in rebus supra humanæ rationis captum & vires hominis naturales positis, in interiori conversione & cordis mutatione efficienda, in rebus ad superiorem sphæram pertinentibus, sicut disertè additur in loco ex Luthero adducto. *In rebus, quae pertinent ad salutem vel damnationem, non habet homo liberum arbitrium.* Sic ergò, quod verissimè a Rabinis pronunciatum, nullam inveniri in Scripturis objectionem, ubi non sit medicamentum in latere ejus, etiam ad Augustanam Confessionem suo modo applicari potest. Quo sensu *justus in bono opere dicitur mortaliter peccare*, & quid de libro Lutheri de servo arbitrio statuendum sit, alibi explicatur, hīc evidens ex Lutherio adducemus testimonium, quod in rebus externis & politicis humanæ voluntati libertatem minimè denegaverit. Sic enim scribit tom. 4. Jenens. Germ. fol. 345. *Habet homo ex propriis viribus liberam voluntatem faciendi opera externa, vel omissandi, impellit enim minus legis, potest ergò politicè bonus esse ex viribus propriis, divinitus ei concessis, quam Paulus justitiam carnis appellavit.*

Ultimum, quod Dillingenses afferunt contradictionis exemplum est dogma de transubstantiatione. In parte 3. inquiunt, artic. Schmalcald. artic. 6. ita subnectitur: *De transubstantiatione subtilitatem Sopisticam nibil curamus, quā fingunt, panem*

ponem & vinum relinquere & amittere naturalem suam substantiam, & tantum formam & colorem panis, & non verum panem remanere. Optimè enim cum Sacra Scriptura congruit, quod panis adsit & maneat, sicut Paulus ipse nominat. Panis, quem frangimus. Et, ita edat de pane. Sed oppositam huic & planè Catholicam doctrinam de Sacrosancta Eucharistia expresserunt coram Cesare Carolo articulo 10. Confessionis. Transubstantiationem in articulis Schmälcaldicis improbari concedimus, eandem verò in Augustana Confessione approbari negamus, imò pernegamus. Nec potest contrarium probari vel ex voce species articulo 10. Confessionis usurpata, vel ex approbatione, bus articuli à Carolo Cæsare & Principibus facta. Voce enim species Confessores designant visibilia & in externum oculorum sensum incurrentia Symbola, ac proinde speciem non substantiā vacuam, sed solidam & cum speciei veritate conjunctam, in qua significacione hæc vocula usurpatur non solum à Patribus, (Ambrosius de iis, qui mysteriis initiantur cap. 9. Theodore. Dial. 2. ubi τὴν φύσιν καὶ τὸ σῶμα conjungit) sed etiam in ipsa Scriptura Luc. 3. v. 22. ac in eadem significacione Confessionem nomen speciei accipere patet ex Confessionis Apologiâ, in qua dicitur, *corpus & sanguinem Christi exhiberi cum his rebus, quæ videntur.* Adprobatio hujus articuli non fuit absolute & simpliciter facta, sed respectu doctrinæ de vera, reali & substanciali corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna præsentia. Pontificii enim in sua Confutatione hortati sunt nostros, ut transubstantiationem credarent, quod superfluum fuisset, si in verbis Confessionis eam contineri judicâissent: ac Cochlaeus accusat Philippum, quod in Apologia dicat, panem mutari, & tamen neget transubstantiationem. Quæ de Augustanæ Confessionis variatione & novi

articuli de omnipotētia Christi hominis introductione
Dillingenses subjungunt, ad ea in *Pupilla Saxonica*, ejusdemq;
Apologia solidè & fundamentaliter est responsum, ideo actum
agere supervacaneum judicamus. Postemus autem à cunctis
pañlo loco Pontificiis hoc opponere, Concilii Tridentini auto-
ritate sublatâ, omnium aliorum Conciliorum decreta & totam fi-
dem Christianam in dubium revocari posse, ac ab infallibilitate
bujus Concilii omnium dogmatum firmitatem pendere Bellarmi-
nus audacissimo ore asserit lib. 1. de Sacram, cap. 25. §. ultimo,
Itemque, *Omnes Catholicos sua ingenia atque judicia sponte ei*
submittere lib. 3. de Justificat. cap. 3. omnes libenter ei obœdire
lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 15. illud, ut Magistrum,
in omnibus regni lib. 1. de Justificat. cap. 12. ejus vocem Ecclesia
Catholicæ vocem salutare lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. qui
ei non obœdiunt, inter Catholicos non numerari lib. 4. de amiss.
gratia & statu peccati cap. 15. Res tamen ipsa ostendit, & in
hoc Confessionis Catholicæ opusculo sexcentis exemplis de-
monstratur, multos Romano-Catholicos tum ante, tum
post Concilium Tridentinum in scriptis suis propugnare e-
iusmodi dogmata, quæ in Concilio Tridentino damnantur,
& vicissim ejusmodi dogmata repudiare, quæ in Concilio
Tridentino propugnantur. Num propterea concedent, se Pa-
cificationis Passavensis beneficio excidisse? non arbitror.
Desinan ergo nobis hoc objicere, quod in se nolint admitte-
re; ac quo iure contra se nosmet uti nolunt, eo nec ipsi contra
nos utantur.

Tuæ verò Illustrissimæ Cellitudini, Princeps Illustrissime,
Domine clementissime, hanc secundam libri secundi
specialis Confessionis Catholicæ partem humiliter conse-
crare, ac nomini tuo celissimo inscribere volui, ita debui,
cum,

sum, ut nomine Academiz hujus nostræ (cujus Patronum
 & Evergetam benignissimum Illustr. V. Cels. agit, & in qua
 per annos viginti publicè doceo) Illustrissimæ Vestræ Cels.
 subiectissimas gratias agerem, quod non ita pridem unà cum
 fratre conjunctissimo, Illustrissimo ac Celsissimo Principe
 ac Domino, Domino Johanne Philippo Saxoniz, Julie, Cli-
 viæ ac Montium Duce &c. Domino meo clementissimo,
 Baronatum Rembdensem & prædium Apoldense fundatio-
 ni Academiz assignate, ac proventus utriusque annuos unà
 cum dominio & jure proprietatis eidem benignissime con-
 ferre haud fuerit dignata, quod singulare & insigne benefi-
 cium grata posteritas ad decretorium usque seculi hujus diem
 æternis celebrabit laudum præconiis, ac summus rerum ar-
 biter temporalibus & æternis remunerabitur præmiis etiam
 ut Illustrissimæ Vestræ Cels. de felicitate, quæ Dei munere in
 hac vita ipfi obtigit, ac de præclaris animi & corporis doti-
 bus, quas divina benignitas largâ manu in eam contulit, gra-
 tularer, ac virtutes, quibus pollet heroicis & eximiis, aliorum
 notitiaz magis magisque insinuarem. Parentem Illustriss. V.
 Celsit. fortita est Serenissimum, Illustrissimum ac Celsissi-
 sum Principem ac Dominum, Dn. Fridericum VVilbelmum
 Saxoniz Ducem, Landgravium Thuringiz, Marchionem
 Misniæ, Electoratus Saxonici per annos aliquot Administratorem
 eminentissimum, quem si quis veræ pietatis, antiquæ
 Saxonice virtutis & fidei, adeoque boni & laudati Principis
 exemplar, dum viveret, fuisse dixerit, nihil quidquam, quod
 non omnium recte sentientium suffragio munitum sit, in
 medium protulerit. Præclarus & eximus Theologus D. Po-
 lycarpus Liserus, testis autem, in Epist. dedicat. Harmoniz
 Evangelicæ Chemicianæ præfixa, ejusmodi de eo fert clo-
 gium:

gium: *Vel ipse livor, inquit, negare non potest, quod per Celsus.* T.
 fidem & industria, jam expurgatum est rursus, quidquid iriquid
 da oratione per fraudulentas machinationes malorum quorundam
 hominum in Ecclesiam Christi, in hisce regionibus in uebi ceptum
 fuerat: quod item, Te Duce, redux facta sit vera pietas cum pu-
 riore animorum pabulo, ex sacris Israëlis fontibus irrigato: quod
 praterea per Te sollicitè curatum sit, ut loca Iudicij occuparent vi-
 tinon tantum justitiae & Doctrinae, sed etiam pietatis & veræ re-
 ligionis laude celebres: quod denique per Te omnes Scholæ inferio-
 res & superiores jam resurgent, literarum, humanitatis & pie-
 tatis studia passim magno cum juventutis fructu vigeant: sic q.
 studiosè cœveatur, ne imminens barbaries totam terram occupet
 & pressundet. Quid multis opus? Es, Tu Princeps optime, Princeps
 plentissime, tam subditis tuis, quam exteris, qui ad umbram tuam
 confugiunt, & sub ea animarum pabulum querunt, arbor genero-
 sa & fructuosa, quaē hoc omnibus praestare cupit, ut & animo &
 corpori & fortunis ipsorum bene esse possit. Hæc ille. Rarum pro-
 fectò & illustre elogium, cuius æquè ac nominis & stemma-
 tis paterni genuinus heres es, Princeps Illusterrissime, cùm pa-
 ternis vestigiis presè insistas, sinceræ religioni ex toto corde
 addictus, pietatis non in labiis natæ, sed in cordis intimo sef-
 fitantis studio totus consecratus, ac virtutibus Principum de-
 centibus, ac tam paci, quam bello convenientibus abundan-
 tissimè constipatus. Candorem apertum amas, hypocrisim ac
 fraudes detestaris. Justitiae es amator, iniquitatis osor: à sub-
 ditis amari potius quæris, quam timeri. Literatos quo vis &
 inter illos cum primis Ecclesiæ Doctores Parentis nunquam
 satis laudati, nunquam satis laudandi, exemplo singulari fa-
 vore & clementiâ complecteris, inter quos cùm & ego, infima
 licet, obtineam subsellia, perlungi, fore, ut Illustriſ. V.
Celsit,

D E D I C A T O R I A.

Celsit, hanc chartacei muneric oblationem ex subiectissime grato animo profectam, sereniore fronte suscipiat, & quam clementiam me complexa fuit haetenus, etiam in posterum complecti benignissime perget. Meo qualicunque loco non desinam, beneficia & toti Academiz, & mihi ejusdem qualicunque membro praestita, grato ore & corde depraedicare, ac pro temporali & aeterna Illustrissimae Vestrae Cels. salute seriis & calidis votis Deum per omne adhuc reliquum vitæ tempus solicitare. Dabam Jenæ Cal. Februarii Ann. 636,

• **Illustr. Vestram Celf.**

subiectissime colens.

Johann. Gerhard. D.

A D . A U T O R E M

Votiva Acclamatio.

Papa revelans, proprio & gladio jugulans.



*H*risti ante adventum peccati hominem, *AntiChristum,*

Esse revelandum, Pagina Sacra docet.
*Christi adventus erit propè, cùm satis *AntiChristum.**

Esse revelatum, secula diesque probent.

*H*u^sius è primis, & *Keisersbergius* olim
Monstrum illud Mundi prostituere plagis.

Successit, Domino, *Megalander*, dante, *Lutberus*,
Successorstellis Solis imago vagis.

Dogmata subvertit fortis Papalia zelo,
Fraudes detexit totus & omnigenas.

Vis complementum? cedunt hæc puncta *Gerbarde*,
Per quem post mortem, credo, *Lutberus* ovat.

Namque Ille errores Papalis Dogmatis omnes
Diluit, & fecit cuique patere dolos.

Quodque novum est, mentem Doctorum & verba retorsit;
Sic proprio intereunt Hæretici gladio.

Enī *Confessio* adeat, *Confessio Magna*, referris
E Papistarum quæ cumulata Libris.

Viderunt similem non secula cuncta laborem,
Nec stragem passus Papa fuit similem.

Hoc erat in Fatis, quod cœperat Hu^sius olim,
Quodque *Lutberus* opus cœperat ætherium;

Quodque alii dubio cœperunt Marte, *Gerbardi*
Surget huic Marte ac Arte suprema manus.

Hoc

(o)

Hoc erat in Fatis, tenebris ut denique pulsis,
Fulgeret Verbi lux, Fidei que decus.
Euge Gerbarde! doces veluti, sic perge docere,
Atque auge veræ Religionis opes!
Euge Gerbarde! viges veluti, sic perge vigere,
Et Christo, Domino vive vigeque Tuo!
Et vives, si vita ultis est addita Libris,
Hi Tecum vivent secula mille Libri.

I.

JOHANNES GERHARDUS.

max. omisſus aspirat.

Das, non erras. Vige!

Sensum divini *das* Verbi, & pandis abyſſos
Imas Scripturæ; Magne Gerbarde, Sacræ.
Succum divini *das* Verbi, & dogmata promis,
Non erras, dio Flamine jutus agis.
Mente animoque *vige!* Verbi dare perge Juventæ
Et sensum & succum; mente animoque *vige!*

II.

JOHANNES GERHARDUS.

omisſus aspirat.

Cumne rigore sudas?

A Nne rigore pio sudas, Divine Gerbarde?
Nz sudas; Tuas licet entheas scripta docent.
Perge rigore pio sudare, Gerbarde; rigorem
Ecce! beat dio Iova vigore piuit.

*Observantia & gratulationis erga
f.*

M. Jobannes Zrifoldus, in Inctyta Salana
Pbyf. Professor Publ. Cal. Octobr. 635.

SCHE

S C H E M A T I S M U S
P A R T I S II. L I B R I II. S P E C I A L I S.

A R T I C U L U S VI.
D E C L E R I C I S.

CAP. I. De vocatione Ministeriorum Ecclesie. pag. i.

Thesis. Electio & vocatio Ministeriorum jure divino ad universam spectat Ecclesiam, nec potest legitimè fieri sine populi consensu & suffragio.

"*Educa.*

Antithefis.

Nostra sententiae confirmatio.

Eidem suffragatur.

1. Canon Apostolicus 36.

2. Pontificum quorundam Epistola & Statuta.

3. Quedam Conciliorum decreta, Pontificum Romanorum rescripta, & Patrum dicta in Ius Canonicum relata.

4. Quod agnoscunt, claves toti Ecclesiae esse traditas.

5. à vocatione Ministeriorum Magistratum Christianum & populum olim non fuisse exclusos.

6. Concordata Gallie.

7. Quedam hypotheses ab Adversariis concessae.

Argum. Advers. Christus misit Apostolos sine populi suffragio, Job. 20.

CAP. II. De septem Ordinibus Clericorum.

Thesis. Septem Ordines Clericorum Scri-

ptura sacra & primitive Ecclesie sunt ignoti. •

"*Educa.*

Antithefis.

Nostra sententiae confirmatio.

Eidem suffragatur,

1. Quod agnoscunt, septenarium Ordinem numerum Apostolica & primitive Ecclesie fuisse ignotum.

2. Ex Iudaismo & gentilium imitatione Ordines illos in Ecclesiam Christianam introductos esse.

3. Patres modò plures, modò pauciores Ordines, quam septem numerare.

4. Quod ipsimet de Ordinibus illis suis non consentiunt.

Dissentient enim. Primo, de Ordinum numero.

Secondo, de autore distinctionis Clericorum in septem Ordines.

Tertio, in questione, an omnes hi Ordines sint Sacramenta.

CAP. III. De Episcoporum & Presbyterorum discrimine.

Thesis. Episcopi, quoad potestatem jurisdictionis Presbyteris jure divino non sunt superiores.

"*Educa.*

Antithefis.

Nostra sententiae confirmatio.

Eidem

PART. II. LIBRI II. SPECIALIS.

Eidem suffragantur.	i. quidam Canones Juris Canonici.	30.	6. Cardinales & Episcopi.	58.
	2. Scholastici.	32	7. Scholastici.	64.
	3. Cardinales Ecclesie Romanae.	ead.	8. Imperatores, Reges, Principes & eorum Legati.	65.
	4. Alii Scriptores Pontificis, sive ante, sive post Luciferum.	ead.	9. Historici ac Poëtae.	68.
	5. quod Apostolice & primicie Ecclesie consensum nobis largiuntur.	36.	10. Theologi & Jurisconsulti.	77.
	6. quod quorundam Romano-Catolicorum suffragium nobis largiuntur.	37.	11. quod agnoscere coguntur, coactionem Sacerdotum ad celibatum fructus offerre pessimos.	91.
	7. quedam hypotheses Adversariorum.	ead.	12. quedam hypotheses Adversariorum.	99.
	8. Diffensiones Adversariorum.	39.	13. in specie quedam Bellarmini hypotheses.	103.
Argum. Adversi.	1. Solus Episcopus potest ordinare.	40.	14. Diffensiones Adversariorum.	104.
	2. Episcopi idem sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in V.T.	ead.	Exceptiones Adversariorum ad nostra argumenta.	
	3. Patres docent, Episcopos succedere apostolis.	ead.	1. ad locum Apostolicum i. Tim. 3. v. 2. sensum esse, quod Episcopus debeat esse unius Ecclesie Pastor.	109.
	4. Matrb. 24 Quid putas, fidelis & prudens est servus, quem constituit Dominus super familiam suam?	42	2. unus uxoris virum intelligi, qui unam uxorem habuerit, non habeas.	ead.
	5. i. Tim. 5. v. 19. Adversus Presbyterum, noli accusationem suscipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.	ead.	3. intelligendos esse eos, qui à suis uxoriibus abstinebant.	111.
C A P U T IV. de coniugio Ministeriorum Ecclesie.		ead.	4. in prima illa Ecclesie infansia Apostolorum proper paucitatem celibum ecclesie fuisse, ut uxoracos viros in Episcopos eligerent.	ead.
Theosis.	i. Celibatus non est iure divino sacramentum annexum, ne in illis constitutis non possint matrimonium contrahere.	ead.	5. conservadinem, plures simul uxores ducendi, cum non amplius locum habuissent.	ead.
" Reservis.		ead.	6. in loco parallelo i. Tim. 5. v. 9. non posse intelligi unius mariti uxorem.	112.
Anticibus.		43.	7. Solum Theodoreum sic interpretari, quod Episcopus non debeat duas uerbi raro habere uxores.	ead.
Nostrae sententiae confirmatio.		ead.	2. ad locum i. Tim. 4. v. 2. i. Ecclesiam non simpliciter prohibere Clericis matrimonium, sed sub condicione, si velint esse Sacerdotes.	113.
Eidem suffragantur.	i. Quidam canones Apostolorum.	44.	2. norari eos, qui conjugium absoluere damnant, ac primis Ecclesie temporibus exercerunt.	ead.
	2. Quidam Canones juris Pontificis.	45.	3. Apo-	
	3. Gracianus & Glossator Juris Canonici.	52.		
	4. Canoniste.	54.		
	5. Pontifices Romani.	55.		

SCHEMATISMUS.

3. Apostolum loqui de absolu^ea & simplici
prohibitione conjugis absque illa ex-
ceptione in oratione tempore & in omni
genus personarum. ead.
3. ad locum 1. Cor. 9. v. 5. exo. Apostolus
non loquitur de uxoribus, sed de piis fami-
lis, que sequebantur Apostolos & ois
mainstrabante. ead.
4. ad locum 1. Cor. 7. v. 2. exc. 1. Apostolus
loqui de conjugatis, qui, cum in paga-
nismo uxores duxissent, post conversionem
ad fidem dubitabant, an uxoribus
uisi deberent. 114.
2. Apostoli verba intelligenda de illis,
qui non sunt virgines votorum ligati.
ead.
5. ad locum Hebr. 13. v. 4. exo. Apostolus
non indicando, sed imperando. hoc
dixisse. ead.
6. ad argum. quod coactio ad celibatum
causam dei nefariis libidinibus excip.
non est concubinarios & impuros esse
inter Ecclesiasticos, quod beruisci di-
cunt. 115.
7. ad exemplum Apostolorum exo. Apo-
stolus omnia reliquissit, & in omnibus
eriam uxores. ead.
- ~~Argum.~~ Advers. 1. ex Lue. 21. v. 34. Videste, ne
corda vestra graventur curia huius vi-
te. 116.
2. ex Deut. 32. v. 9. Qui dixerum patris suo
& marri nescio vos, & filios ignorare-
runt. ead.
8. ex 1. Tim. 3. v. 8. Oportet Episcopum esse
coniunctum. 117.
9. ex 2. Tim. 2. v. 4. Nemo militans Deo
implicatus negotiis secularibus. 119.
3. ex 1. Cor. 7. v. 7. ubi conjugati iubentur
vacare ad campus ab opere nupciarum,
ne oratione possint interficere. 121.
6. ex Mathe. 19. v. 29. Qui religneris uxo-
rem, centuplum accipiet; ex Lue. 14. v.
26. Qui non odorit uxorem, non potest
esse meus discipulus. 123.
7. In V. T. continentia requisita fuit ab
iis, qui Deo propinquaveri, vel rem sa-
cram tractacuri erant. Ex. 12. 19. 28.
1. Reg. 21. 1. Paral. 24. Lue. 1. ead.
8. Conjugium vehementer impedit munia
Ecclesiastica. 125.
9. ex 1. Tim. 3. v. 4. Episcopus debet habere
filios subditos cum omni castitate. 126.
